



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Opvs Theologicvm

Mauro, Silvestro

MDCLXXXVII

Q. 264. De existentia, & numero ordinum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84149](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84149)

ciat contritio. Nam contritio est valde difficilis; ergo inconueniens est, quod in eo casu pastores non teneantur ad audiendas confessiones.

16. Dicendum tertio: tenentur etiam parochi ministrare sacramenta viatici, & extremæ vnctionis cum ordinario periculo, quod solet dari in talibus sacramentis ministrandis tempore pestilentia; posset tamen periculum ita augeri, vt in aliquibus casibus taris excusarentur. Ratio, cur communiter teneantur, est, quia alioquin communitas destitueretur his sacramentis, tempore, quo maximè illis indiget. Ratio, quare possint in aliquo casu raro excusari, est, quia ex hoc non sequitur, quod tota communitas his sacramentis destitueretur. Videri potest Suarius disput. 44. sect. 3. Et hæc de sacramento extremæ vnctionis.

TRACTATUS XXIX.

De sacramento ordinis.

QUÆSTIO CCLXIV.

De existentia, & numero ordinum.

DE fide est dari plures ordines. Definitum id fuit à Concilio Tridentino, sess. 23. cap. 2. & can. 2. vbi dicitur: *si quis dixerit, præter sacerdotium non esse in ecclesia catholica alios ordines, & maiores, & minores, per quos, velut per gradus quosdam in sacerdotium tendatur, anathema sit.* Colligitur hæc veritas primo ex Scriptura, quæ pluribus locis, vt 1. ad Timoth. 3. Act. 6. ad Philippenses 1. non solum de sacerdotibus, sed etiam de diaconis mentionem facit, & quæ præcipuè in illorum ordinatione attendenda sint, grauissimis verbis docet. Colligitur secundo, quia ex auctoritate Patrum constat in ecclesia vsque ab initio fuisse nomina, & ministeria, non solum sacerdotij, sed etiam aliorum ordinum.

2. Ratio conuenientia est, quia vt colligitur ex eodem Tridentino, sess. 23. cap. 1. & 2. in ecclesia datur sacrificium eucharisticum; sed ad peragendum sacrificium, necesse est, vt dentur sacerdotes; ergo in ecclesia debent dari sacerdotes, qui haberent potestatem faciendi sacrificium eucharisticum; sed vt sacerdotes dignius, & cum maiori veneratione offerrent sacrificium eucharisticum, conueniens fuit, vt plures, ac diuersi darentur ministrorum ordines, qui sacerdoti ex officio deferrent; ergo conueniens fuit, vt in ecclesia darentur plures ordines.

3. Confirmatur: nam in ecclesia triumphantè dantur plures ordines Angelorum, & Beatorum, qui Deum colunt per diuersas actiones intelligibiles, prout postulat status beatitudinis; ergo etiam in ecclesia militante

dari debent plures ordines hominum diuino cultui specialiter dicatorum, qui Deum colant diuersis actionibus sensibilibus, prout postulat status viæ; & quia maximus cultus exhibetur Deo per sacrificium eucharisticum, ideo dari debent plures ordines ministrorum deferuentium sacrificio eucharistico.

4. Catholici, & Hæretici conueniunt in admittendis pluribus ordinibus, sed disconueniunt in explicando, quot sint. Catholici ponunt septem ordines, quorum nomina sunt sacerdotes, seu presbyteri, diaconi, subdiaconi, acolythi, exorcistæ, lectores, ostiarij. Calvinus lib. 4. institutionum, cap. 4. & 19. & Kemnitijs in examine Concilij Tridentini, sess. 23. cap. 1. quos refert Bellarminus, tom. 2. lib. 2. de clericis, cap. 11. reprehendunt hunc septenarium numerum ordinum, ac docent tres tantum esse verè ordines, episcoporum, quos libentius vocant pastores, presbyterorum, quos vocant seniores, vel doctores, & ministros verbi, & diaconorum. Exorcistas auferunt omnino, reliquos admittunt quidem, sed asserunt illos verè non esse ordines, nec certo numero contineri, sed posse constitui plures; aut pauciores ministros, prout ecclesiarum necessitas postulare videtur.

5. Vt statuatur cum catholicis septenarius numerus ordinum, supponendum est ordines posse sumi dupliciter, propriè nimirum, ac communiter. Ordines propriè sunt, qui certo ritu conferuntur ab episcopo ad certum ministerium in sacrificio eucharistico exhibendum. Ordines communiter sunt, per quos aliqui quomodocumque dicantur diuinis obsequijs.

6. Hoc supposito, dicendum primo; ordines propriè dicti sunt septem tantum enumerati. Probat. Nam ex dictis ordines propriè dicti sunt, qui certo, & solemnè ritu ab episcopo conferuntur ad certum ministerium in sacrificio eucharistico exhibendum; sed ex antiquissimo ecclesie vsu episcopi solemnè ritu conferunt septem tantum enumeratos ordines, & non alios; ergo &c. Probat. minor auctoritate Conciliorum, & Patrum. Clemens Romanus lib. 3. Constitutionum omnium fere ordinum etiam minorum ritus declarat. S. Ignatius epistola ad Antiochenos sic concludit. *Saluto sanctum presbyterum vestrum. Saluto sanctos Diaconos, Saluto subdiaconos, lectores, cantores, ostiarios, exorcistas.* S. Cyprianus lib. 2. epistolarum, epist. 5. & 10. lib. 4. epist. 5. & lib. 5. epist. 14. mentionem facit septem ordinum. S. Cornelius in epistola ad Fabianum Antiochenum habet hæc verba, quæ referuntur ab Eusebio lib. 6. historiae ecclesiasticae, cap. 33. *Nesciebat, in ecclesia catholica vnum episcopum esse debere, vbi videbat esse presbyteros sex, diaconos septem, subdiaconos septem, acolythos 42. exorcistas, & lectores cum ostiarijs 42.* Concilium Romanum sub Syluestro, cap. 3. numerat eosdem septem ordi-

ordines, eisdemque recensent Florentinum in instructione Armenorum, & Trident, sess. 23, cap. 2.

7. Rationem, propter quam debuerunt dari septem ordines enumerati, affert S. Thomas in 4. dist. 24, qu. 2, art. 1. quæstiuncula 2. in corpore. Cum enim eucharistia sit sacramentum sacramentorum, sicut in ordine ad illam consecrantur templa, altaria, vasa &c. ita debent etiam consecrari homines, & in tali consecratione consistit sacramentum ordinis; ergo tot debuerunt distingui ordines, quot sunt officia exercenda circa eucharistiam; sed septem sunt officia exercenda circa eucharistiam; ergo septem debuerunt institui ordines. Probatur antecedens assumptum. Aliqui enim debent in ordinatione accipere potestatem, & officium eucharistiam consecrandi; alii debent accipere potestatem, & officium cooperandi, & ministrandi sacerdoti in ijs, quæ spectant ad eucharistiam; sed qui accipit potestatem, & officium consecrandi, accipit ordinem sacerdotalem, qui accipit potestatem cooperandi sacerdoti, accipit alios ordines, qui debent esse sex; ergo dari debet ordo sacerdotalis, & alij sex ordines. Probatur, & explicatur minor. Nam debent dari tres ordines ad cooperandum sacerdoti in ijs, quæ spectant ad ipsam eucharistiam, & debent dari alij tres ordines ad cooperandum sacerdoti in ijs, quæ spectant ad suscipientes eucharistiam; ergo &c. Probatur prima pars antecedentis. Primo enim debent alii cooperari, & ministrare sacerdoti immediate in ipsa dispensatione eucharistia; sed hoc est officium diaconorum; ergo debet dari ordo diaconorum. Secundo debent alii cooperari sacerdoti in disponenda materia eucharistia, siquæ consecrationis; sed hoc est officium subdiaconi; ergo debuit dari ordo subdiaconorum. Tertio debent alii cooperari sacerdoti, porrigendo vinum consecrandum; sed hoc est officium acolythi; ergo debuit dari ordo acolythorum, adeoque debent dari tres ordines cooperantium sacerdoti in ijs, quæ spectant ad ipsam eucharistiam.

8. Probatur iam secunda pars minoris, quod nimirum debeant dari alij tres ordines ad cooperandum sacerdoti in ijs, quæ spectant ad suscipientes eucharistiam. Qui volunt accedere ad eucharistiam, vel sunt mundi, vel immundi. Mundi nulla indigent præparatione, adeoque nullus debet dari ordo, cuius ministerium exerceatur circa mundos; ergo solum debet dari ordo, cuius ministerium exerceatur circa immundos; ergo tot debent dari ordines, quot sunt genera immundorum; sed tria sunt genera immundorum; ergo circa immundos debent dari tres ordines. Probatur assumptum. Primo enim alii qui sunt omnino infideles, ac nolunt credere, & hi sunt arcendi etiam ab ingressu ecclesie, & ab ipso etiam aspectu diuinorum; sed hoc est officium ostiariorum; ergo debuit da-

ri ordo ostiariorum. Secundo alii volunt credere, sed adhuc non sunt instructi, quales sunt catechumeni; sed officium lectorum est legere Scripturas præsertim veteris testamenti ad instructionem catechumenorum; ergo debuit dari ordo lectorum. Tertio alii licet sint fideles, & instructi, habent impedimentum recipiendi eucharistiam, quia possidentur à dæmone, quales sunt energumeni; sed officium exorcistarum est liberare energumenos à dæmonibus; ergo debet dari ordo exorcistarum, adeoque debent dari septem ordines.

9. Omnes isti septem ordines secundum se sunt sacri, siquidem consistunt in quadam consecratione, qua homines consecrantur. Verum tres primi dicuntur specialiter sacri, quia non solum sunt sacri secundum se, sed etiam eorum actus versantur circa aliquam materiam consecratam. Sacerdos enim, & diaconus exercent suos actus immediate circa ipsam eucharistiam consecratam; subdiaconus exercet suum actum circa vasa consecrata, ideoque sacerdotibus, diaconis, & subdiaconis præcepta est continentia, ut qui tractant sancta, sint etiam corpore mundi, & sancti.

10. Dicendum secundo: præter septem ordines propriè dictos dantur alij ordines communiter dicti, eosque aliquando nomine ordinum vocant sancti Patres.

Probatur. Nam Sanctus Dionysius de ecclesiastica hierarchia agit de ordinatione monachorum. Sanctus Epiphanius agit de ordine fossariorum, seu laborantium in sepeliendis mortuis. Idem Epiphanius agit de ordine Diaconissarum, virginum, & viduarum, quæ ecclesie inseruebant in instructione nauherum catechumenarum; ergo præter septem ordines propriè dictos, dantur alij ordines communiter dicti, ac de ijs sepe agunt sancti Patres. Quod autem hi, alijque ordines, quorum mentio habetur apud Patres, sint ordines communiter, non autem propriè dicti, probatur. Nam ordines propriè dicti sunt, per quos datur potestas sacrificandi, vel ministrandi sacerdotibus in ijs, quæ spectant ad eucharistiam; sed per ordines enumeratos non datur potestas sacrificandi, nec ministrandi sacerdoti in ijs, quæ spectant ad eucharistiam, sed quomocumque dedicantur homines cultui diuino; ergo &c.

11. Ex hac distinctione ordinum propriè & communiter dictorum, soluntur testimonia Patrum, quæ obijciuntur ab hæreticis. Aliquando enim Patres enumerant ordines, non solum propriè, sed etiam communiter dictos, ut S. Ignatius in epistola ad Antiochenos, & S. Epiphanius in fine Panarii, qui septem proprijs ordinibus addunt ordinem laborantium in mortuis sepeliendis; & S. Ignatius addit etiam ordinem fossorum. Aliquando diuidunt christianos in plures classes, quas vocant ordines, ut facit Hieronymus, dum in commentario, cap. 19. Isaiæ recenset quin-

QVÆSTIO CCLXV.

*Virum omnes, vel aliqui ordines
sint sacramentum?*

Proponuntur varia sententia.

1. **E**xplicata existentia, ac numero ordinum, sequitur, vt agamus de eorum essentia; & quia essentia rei constat ex genere & differentia, ideo primo agimus de genere ordinum, & querimus, vtrum omnes, vel aliqui ordines sint sacramentum?

2. Supponimus primo, quod ordo potest sumi dupliciter, primo *in fieri*, & est ipsa actio collatiua potestatis, quæ actio dicitur ordinatio: secundo *in facto esse*, & est ipsa potestas per ordinationem accepta: ex. gr. ordo sacerdotalis *in fieri* est ipsa ordinatio, per quam ordinato datur potestas consecrandi eucharistiam: ordo sacerdotalis *in facto esse* est ipsa potestas consecrandi per ordinationem accepta. Ordo in facto esse est aliquid permanens. Potestas enim consecrandi permanet stabiliter in sacerdote. Ordo *in fieri* non est permanens, sed transiens.

3. Supponimus secundo, certum esse, apud omnes, ordinem, prout sumitur in facto esse, & est aliquid permanens, non esse sacramentum, sed esse solum effectum sacramenti. Ratio est, quia sola eucharistia est sacramentum permanens, alia sacramenta consistunt in aliquo transeunte: ex. gr. sacramentum baptismi consistit in ipsa ablutione transeunte cum prolatione verborum.

4. Hoc supposito, querimus, vtrum omnes, vel aliqua ordinationes sint sacramentum? Prima sententia, vel potius primus error Lutheri libro de captiuitate Babylonica, capite de ordine, Kemnitij in secunda parte examinis Concilij Tridentini, & Illyrici in confessione Antuerpiensi, cap. 11. docet nullam ordinationem etiam sacerdotum esse sacramentum, adeoque non dari sacramentum ordinis.

5. Secunda sententia Durandi in 4. dist. 24. qu. 2. num. 6. & Caietani tom. 1. opusculi tract. 11. art. vltimo, docet solam ordinationem sacerdotum esse sacramentum à Christo institutum; ordinationes diaconorum, subdiaconorum, & aliorum ministrorum non fuisse institutas à Christo, sed ab Apostolis, & ab ecclesia, adeoque non esse sacramentum, cum solus Christus possit instituere sacramenta.

6. Tertia sententia, quæ tribuitur Hugoni de S. Victore, Magistro sententiarum in 4. dist. 24. cap. 7. Gratiano in decreto, dist. 2. Martino de Aiala libro de traditionibus Apostolicis, parte secunda, capite de ordine, in eamque inclinat Alphonsus de Castro, libro aduersus hæreses, verbo *ordo*, docet solos sacerdotes & diaconos fuisse institutos à Christo, adeoque

quinque ordines, episcopos, presbyteros, diaconos, fideles, & catechumenos, eosque adaptat quinque ciuitatibus, de quibus loquitur Isaias, cap. 19. quod caput Hieronymus explicabat. Aliquando non intendunt enumerare omnes ordines, sed aliquos tantum, modo hos, modo illos. Cæterum Concilia, & Patres, dum ex professo tradunt doctrinam de ordinibus ecclesiasticis propriè dictis, enumerant omnes, & solos septem ordines, qui ponuntur à catholicis, vt patet ex locis allatis. Immo Concilium Carthaginense quartum, cap. 2. & sequentibus, cum enumeratis septem ordinibus, octauo loco addidisset psalmistas, seu cantores, ne sumi posset occasio opinandi ordines esse octo, cap. 10. aduertit psalmistam non ordinari ab episcopo, sed sine scientia episcopi, sola iussione presbyteri suscipere munus canendi.

12. Opponi potest primo. S. Anacletus Papa epist. 3. cap. 2. dicit: *amplius, quam isti duo ordines sacerdotum, presbyterorum, & episcoporum, nec nobis à Deo collati sunt, nec Apostoli docuerunt; ergo duo tantum sunt ordines.*

Respondeo, quod Anacletus docet, Christum instituisse, & Apostolos docuisse, solum esse duos ordines, seu duas differentias sacerdotum, episcopos nimirum, & presbyteros, quod etiam nos fatemur; at non negat Christum instituisse, & Apostolos docuisse, alios ordines non sacerdotum, diaconorum nimirum, subdiaconorum &c. Vide quæ dicuntur infra quæst. 265.

13. Opponi potest secundo: in primitiua ecclesia fuerunt soli presbyteri, & diaconi, non autem ministri inferiores; ergo Christus instituit solum duos ordines.

Respondeo transat, antecedens, & nego consequentiam. Christus instituit omnes septem ordines, sed initio ecclesiæ, quia pauci erant fideles, pauci etiam fuerunt ministri, ideoque diaconi exercebant ministeria omnium ordinum inferiorum. Multiplicatis deinde fidelibus, multiplicati sunt ministri, ac diaconis exercentibus ea, quæ sunt propria diaconorum, additi sunt subdiaconi, acolythi, alijque inferiores ministri, qui exercerent propria ministeria. In hoc autem sensu intelligendus est Magister sententiarum in 4. dist. 24. cap. 7. dum docet, quod ab initio fuerunt soli sacerdotes, ac diaconi, ecclesia deinde alios ordines instituit.

14. Opponi potest tertio: prima tonsura est ordo, episcopatus etiam est ordo; ergo sunt nouem ordines.

Respondeo primam tonsuram non esse ordinem propriè dictum, sed dispositionem ad ordines; episcopatum non esse ordinem distinctum à sacerdotio, sed esse quamdam perfectionem, & extensionem sacerdotij, vt de episcopatu probabitur qu. 265. n. 27. de prima tonsura eadem quæst. num. 30.